

B. m.

II d
322

QK. 532, 1.

Q. I. D. I. V. V.

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

JOHANNE VVILHELMO,
DVCE SAX. IVL. CLIV. AC MONT. &c.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
DE
ORIGINIBVS LIN-
GVÆ GERMANICÆ

INDVLTV

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

DISPV TABVN

PRÆSES

M. JOHANNES Lauterbach /
SENATOR. JENENS. CON-R.

ET RESPONDENS


J A C O B V S Röhrborn /
NAVMBVRGENSES

AD D. JAN. M DC LXXXIX.



E N Æ,

TYPIS JOH. ZACHAR. NISI.



VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EX-
CELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,
ATQVE PRVDENTISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS,
CAMERARIIS,
POLIGRAPHO,
ET
SENATORIBVS,

inclytæ Reipubl. Naumburgensis,

DOMINIS

*Mæcenatibus, Patronis & Evergetis suis omni
honoris cultu prosequendis*

In grati animi testimonium, ac sui suorumque
studiorum ulteriore commendationem

D. D. D.

Jacobus Röhrborn.

Q. D. B. V.



Ernaculæ nostræ inquisitus origines
non immerito multos, qvi hoc genus histo-
riæ, eò qvod res patriæ tractat, leve & inutile
judicare ausint, horrere poteram. Tales e-
nim jam sunt hominum animi, ut qvodcun-
que arrodere & incessere non desistant, qvod
non magnificum & ad cujusvis voluntatem exasciatum. At
verò, quod omnium pace dixerim, anhelamus hodie nova,
quidque intra fines novi orbis geratur, indagamus nostro-
rum incuriosi. Venamur & miscemus alios sermones nostro,
& corrumprimus vernaculam anxii, ut videamur periti lingva-
rum exoticarum. Quod cacoethes non ab re finibus nostris
exesse dudum voluerunt erectiora ingenia, virique, qvibus
posteritas nominis gloriam multis cebet nominibus. In i-
stam fermè incidimus tempestatem, ut Germanis Germanos
dari doctores necesse sit, qui istos Germanicè loqui doceant.
Cavemus aliarum lingvarum deformitatem, nostram autem
Iudibrio exponimus, & quam verecundare fas erat, fœtore ad-
spergimus egregie. Transgredere, si vir es, in aliis artis re-
gulas, turba circulos Prisciani: experieris, quanta cum igno-
minia vindices Musarum te, reum Solœcismi & Barbarismi, ad
tribunal sint abrepturi, ut ibi causam dicas & tantum non ca-
pite damnatus pœnas luas graviores. Nos interea, ceu de-
generes magnæ parentis nepotes, hanc gratiam majoribus
nostris habemus, ut Andabatarum more adversus illos eo-
rumqve sermonem depugnare, & lingvam nostram heroibus
dignam figmentis multis interpolare, & per Italicam, Galli-
cam atque Hispanicam ex latina corrupta factas simili cor-
ruptioni propinare non gravemur. Nostram, etsi nulli ce-
dat

A

dat

dat elegantia & nitore, plerique tamen (ut solet esse vile, quod domi est) numerant in postremissimis, nec excolunt non modo, sed etiam exoticorum verborum, ut putant, emblematis, ut res est, inquinamentis mirificè fœdant. Dicas in sentinam durare hanc lingvam, ad quam reliquarum sordes torrente promiscuo deferantur. Jam à Latinis, jam nescio, à quibus, mutuamur, quod domi nascitur elegantius, de quo conqueritur vir supra meum laudem clarissimus *Matthias Berneggerus*. Vernacula certè nostra non tam est sordida & penuria vocabulorum consarcinata, prout quidam volunt, qui ita heroicam nostram Italicis & Gallicis suffariunt, ut ne literulas amico reddendas tabellioni tradant, quæ non sint exotico sermone adeò obruta & cerussata, ut qui vel lineolam harum intelligere vult & legere gestit, totius fere orbis Christiani linguis instructus sit oporteat: cum tamen animi sensa quælibet nostro idiomate ubique explanare feliciter possimus. Utinam Cives nostri & isti quorum stemmati insidet progenies Germana tam observantes essent sui sermonis, quam studiosi olim erant Græci. Qui, cum aliquando ærarii penuria laborarent & pecuniam peregrinus promisisset, beneficio tanto uti noluerunt, quia beneficus ille σολομίζω dixerat: *δαρειώ*: at verò cum emendasset errorem & *δαρειστό* dixisset, passi sunt eum nummis suis publicæ inopiae succurrere. At verò hīc loci ejusmodi ἀλλοτριοφίλοις atram bilem non movebimus, neque anxie conquisitis verborum pigmentis nostro sermoni patrocinabimur. Juvabit tantum in præsentia, quæ inter alia negotia de originibus vernaculari collecta sunt, ediscerere, quo magis ad veterum Germanorum poësin via nobis pateat. Speramus Deum propitium, & auguramur benevolos censores.

C A P. I.

De Etymo vocis Germanus.

§. I.

VOx *Germanus* quas origines & fontes agnoscat, non satis convenit inter auctores, quorum diversas sententias, ni
senio

senio fuerit optimo lectori, heic indicabimus. Strabo *Lib. VII.*
Geogr. Germanos tanquam fratres Gallorum dictos vult, quod
 se mutuo ament ac foveant. Vnde etiam *Conradus Celtes*,
 qui primus omnium Germanorum laurea poetica redimitus
 nomen meruit inter doctiores:

Germanos, inquit, vocant Itali, Græci sed ἄλλοι

Quod fratrum soleant inter se vivere more.

Vel, referente Pontano Progymn. XXXII. lib. III. quoniam gens nostra germanæ, h. e. fraternè utramque fortunam patitur ac partitur: & per alternos foris arma tractant, domi agros colunt, uxores liberosque curant. vid. clarissimi Barthii Comment. in Claudian. p. 337. sq. Johann. Goropius Becanus Germanorum nomen à Ger, Germ/ Wern/ guerre i. e. bellum & Mann promanasse, autumāt, ut Germanus sit idem ac Gverremann, vir militiæ addictus: Hoc tamen nomine belli tempore tantum insignes fuisse, pacis vero sereniori adspirante aura aliud habuisse, tradit. Hardörfferus in specimine Philologico. Franciscus Junius, *German*, inquit, nihil est aliud, quam gladii homo, vir omnem in armis spem repositam habens. Vide notas ad Willeratum p. 21. quo etiam Lipsius & Cluverius digitum intendunt.

§. II. Alii autem ab Hebræis cum tota lingua etiam, vocem Germanus accersunt, ut Germani sint גְּרָיִם עֲנֵיִם. inopes advenæ, quam etymologiam pauperem vocat Martinus Lexic. Philolog. Alii à Carmanis Asiæ populis; sed prout Berneggerus *Quæstione VII.* Tacitum observat, admodum violenter trahunt. Ulterius somniant quidam, dictam esse Germaniam à gigno immania, idque multis Autorum testimoniis firmare ainituntur, quietiam suam opem his non denegant. Nam M. Manilius Lib. IV. Αἰγαλοπίνε. Flava per ingentes surgit Germania partus. Et Pomponius Mela de Germania: *Qui habitant, immanes sunt animis atque corporibus.* Cæsar lib. I. de Bello Gallico ingenti magnitudine corporum incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicat, Columella Lib. VII. agriculturæ: *Germaniam decoravit natura altissimorum hominum exercitibus.* Vide eundem Lib. III. cap. VIII. Tacitus de Mori-

bus Germanorum: *In hæc corpora (Germani) quæ miramur ex-
crescent, & Juvenalis Satyr. XV.*

*Quam non terribiles Cimbri, nec Britones unquam
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrsi.*

§. III. Comminiscuntur porro, Tuisconem, quem ja-
Etant Germanorum parentem, habuisse filium, nomine *Man-
num*, qui septuaginta duos annos regnaverit. Adi *Aventi-
ni Annales Bojorum*. Hic tanta rerum gerendarum & ne-
gotiorum bellicorum prudentia instructus fuisse dicitur, ut
ex vita discedens inter Deos relatus sit. Fuerit autem for-
tean aliis post eum Dux Germanorum fortissimus, ad cuius
nomen etiam hostium animi exhorrescerent; hanc si conjectu-
ræ locus, ex memoria olim regis sui Manni dixerint Ger-
mann, i. e. gar Mann / seu, Mannum redivivum. Vnde hoc
nomen adeò plausibile ad hujus ducis commilitones transi-
isse potuerit. Æneas Sylvius quem hanc in rem laudat Ber-
neggerus, Germanos à fœcunditate id nominis obtinuisse
vult, dum: adeò, inquit, germinavit vestra natio, ut nomen vestrum
verius à germinando tractum putemus. Vnde *Solinus Polyhist. cap.
XXXII. divitem hominum terram & populis numerosis frequentem
Germaniam dixit. vid. Guilielmus Malmesburiensis lib. I. Re-
gum Angl. c. I. (quem citat Barthius loc. alleg.) Nonnulli Ger-
manos dictos esse asseverant à Scythico fluvio *Gerrho*, ubi o-
lim nostrates assedissent; de quo Herodotus: *Trans Gerrhum
autem sunt loca, quæ vocantur regia, & Scythæ optimi pariter ac plu-
rimi habitant, qui cæteros Scythes suos servos esse arbitrantur &c.*
Herodot. in Melponene sive lib. IV. n. 102. 106. seqq. conf.
Christoph. Philipp: de Waldenfels Selectarum Antiqui-
tatum lib. II. p. 211. Erasmus Roterodamus in schol. ad
D. Hieronymum, cum exponit, *Germanum esse, quod Græci
γυνιστον appellant, cui contrarium sit νόθον adulterinum: Nec
absurdum sit, ait, Germanorum gentem hinc appellatam videri: quos
si cum reliquis conferas nationibus, minimum fuci, plurimum anti-
quæ sinceritatis ac fidei, & rusticane, ut dici solet, veritatis obtinent.*
Non dicamus jam de iis, qui deducunt à Thogarma, cum fu-
am censuram jam dudum à Clariss. Berneggero tulerint.*

§. IV.



§. IV. Præ cæteris illi egregiè placent, qui nostri sermonis studiosiores gentilitium nostrum nomen ex amoenis nostræ linguae secessibus evocaverunt. Atque hi quidem omnes de posteriori dictionis membro consentiunt esse nimirum nostrum illud *Mann*, quod cum substantivo *Mannheit* tam de sexu, quam fortitudine accipitur. Veruntamen de priori lis est. *Ger* veteribus Germanis idem erat ac *gar* / i.e. prorsus, omnino: Inde *Gerhard*, quasi *garhart* / *Gerirud* i.e. *gartreu* / *Gerbald* i.e. *gar bald*. Itaque Germanus dictus esse poterit quasi *Garmanni* ὁλόαιρος prorsus vir, cui consonum τὸ Alemanni videtur, quasi dicas Alle Männer. De qua denominatione legendus quoque *Joachimus Vadianus* ad *Pomponium Melam*, p.m. 172. qui huic sententiæ nec adeò refragari, nec prorsus accedere vult. B. Lutherus noster & qui cum ipso faciunt, in linguam nostram de hoc etymo plane consentiunt, statuentes, idem esse τὸ Germanus ac Hermannus; hancque vocem mutilatam & depravatam fuisse à Romanis: qui, cum dicere debuissent *Herman*, dixerint *Ger-mann* / & ita pro litera H supposuerint lit. G tanquam propinqua cognatione junctam. Ex quorum sententia clariss. M. Gothofredus *Wegnerus* ad Lutheri Nomenclatorem p. 4. verum & præcipuum gentis nostræ nomen ac titulum à populo Romano rerum nostrarum minus gnaro corruptum dicit. Verisimile quippe arbitratur, historiarum in Latiō conditores literam asperatam fugitivo tantum oculo obser-vasse, vel aure minus pura hausisse, atque ita in ejus locum aliam, G. nimirum, reposuisse, maxime cum non longè diverso sono efferantur. Vnde porro universam Germanorum patriam Hermanniam dictam, heroique laude nunquam intermoritura in primis eminenti, qui olim Augusti exercitum prostravit, non Arminio, sed Hermanno nomen fuisse confirmat. Aventinus etiam lib. I. *Annal Bojor*. ab Hermanno, qui manus fortis ac strenuus perhibetur, maximam partem Germaniæ Hermenien (forte Hermanien) appellatam credit. In eo autem à Lutheri sententia abit, dum alio loco dicit: *Germaniam esse quidem origine nostrum vocabulum sed descendere à be-hren*

gehren & Mann. Verum enim vero, quis in hac causa velit esse judex controversiarum? Postremæ derivationes duæ potissimum nobis arridere possunt, sic tamen, ut, utra præ alia eligenda, maxime hæsitemus. De Germaniæ etymo satis.

CAPVT. II.

*Vnde sit & Alemannus, & reliqua,
quibus nostra gens venit,
nomina.*

§. I.

Progrediemur ulterius & reliquos Germanorum titulos paucis r̄imabimur. Alemannos etiam vocari illos, qui Germaniam incolunt, omnibus ferè liquet; unde autem, nondum convenit. Pontanus Progymn. XXXII. lib. III. sive Alemanniam, sive Germaniam nuncupemus, utrumque nomen è sermone patrio profluxit, & ab eo ductum est, quod indigenæ omnes sint viri seu penitus viri, qui nim. & corporum viribus excellunt, & nullam animi partem delicatam, mollem aut effeminatam habent. Alii à lacu Lemano effluxisse autumant hæc Germanorum insignia, ut Alemanni sint, quasi ad Lemanum siti. Sic enim Servius in lib. III. Georgicorum Virg. Mella fluvius Gallie est, iuxta quem herba hæc plurima nascitur, unde & amellum dicitur; sicut populi habitantes juxta Lemanum fluvium, Alemani, dicuntur. Hi autem vapulant Pontano l.c. Non enim audio, inquiete, ineptos quosdam à Lemano lacu Genevensi in Allobrogibus, aut ab Hercule Alemanno, à quo vetustissimi Germanorum subacti sunt, nomen demissum derivatumque affirmantes. Cæterum prisci scriptores Alemannos & Alemanniam pro Suevis & Suevia duntaxat usurpaverunt, quæ olim Rheno, Danubio, Nicro (qui hodie Neckarus dicitur,) continebatur. Alemanni quoque secundum quorundam conjecturas nuncupantur quasi allerley Mann. Et huic sententiæ patronus sistitur Philippus Cluverius, vir de antiquitate Patriæ optime ac longe clarissimè meritus, qui diserte

diserte tradit, fuisse hanc gentem collectitiam multitudinem: quæ tamen postmodum in maximum & potentissimum nomen rebus maximis gestis excreverit & hoc modo universæ Germaniæ nomen dederit. Quibus fortean illud opponi posset, quod Tacitus de Moribus Germ. c. IV. *Ipse eorum opinioribus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiosis infectos propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.* Reinerus Reineccius vocem Alemannus deducit ab Alanis, ex quibus postea Altuni & tandem Alemanni facti sint. Verum quis prohibet, quo minus adstipulemur B. Luthero, qui vocem *Alemannus* eandem esse conjectat ac *Adelmann*?

§. II. Nec minor se offert difficultas in enucleanda etymologia vocis *Deutsch*/qua nempe Germaniæ incolæ die *Deutschen* vocantur. Quidam enim derivant à conditore gentis Ascenas vel Ascenaz filio Gomeri, idque stabiliunt auctoritate Josephi rerum Judaicarum promicondi, lib. I. Antiq. Judaic. cap. VII. & adhuc alia suffragia corradunt, ut refert Harsdorfferus, ex Rabbi Elia Levita, qui *omnes*, inquit, *terrarum Alemanniæ habitatores vocari solent ab Ascena* אַשְׁכָנְזִים Cui si accesserit articulus præpositivus *die*, vel, ut antiquissimi codices Saxonici *the*, vel *thu*, fieri putant *the ascen* aut *du ascen* & per contractionem *Deutsch* vel *Deutsh*. Hinc Itali hodienum nos vocant *la gente Todesca*. Aventinus in Annalibus Bojor. præfixa nomenclatura: *Tento*, inquit, *ab innuendo dictus Rex Germaniæ, quem quidem Mercarium Germaniæ interpretati sunt. Inde Teutones dicimur.* Quod ut confirmant exsurgunt alii afferentes Ascenazem aruspiciem à voce *deuten* der Deuter dictum fuisse, & inde τὸ teutsch vel *Deutschen* pro interpretari invaluisse. Quam in rem tamen dubito an existent luculenta testimonia:

§. III. Megalander Lutherus originem hujus denominationis devolvit in vocem *Deud*, quæ olim *Deum* significabat; unde nos *Deutsch*, quemadmodum Goths à Gott *Gottisch*/dicimur. Cui adstipulatur Wegnerus in laudato libel-

libello p. 5. in hunc fermè modum. Veteres Germani Deum suum dixerunt Dud vel Deud, quod vocabulum jam per T. jam per D effertur. Ab hoc nomine nos dicimur Deudisch, Dentici, diale^ctio Saxonica Dudisch vel per y vel per ü. Et in his talibus attendenda quoque est Saxonica Dialectus. Illi, qui nomen nostrum Gentilitium **Deutsch** per T. efferrunt, fundamentum aliud ponunt nempe Tuisconem, usl prout Tacitus vult, Tuistonem, quem patrem nostræ gentis afferunt non admodum pauci. Multi tradunt non differre Tuisconem à Teutone; sed fuisse unum eundemque hunc Regem ac Patrem Germanorum; quibus tamen alii refragantur, dum evincere non desistunt, esse diversissima capita: illumque primum fuisse Germanorum regem, hunc autem novem demum emortuis solium regium descendisse. vid. Reineccius de Orig. Mysn. p. 21. Has lites quis dirimere velit? Hoc saltem penitus expendendum cui que relinquimus annon fortasse Tuisco, Tuisto, vel Teuto sit nomen ducis cujusdam omnium strenuissimi, sub cuius du^etu hostes debellati & laurus reportatae fuerint, unde Teutones sive die **Deutschen** postmodum dicti sint, non omnes quidem Germaniæ incolæ; sed saltim pars eorum. Cui rei fidem faciunt ex veteri ævo Pomponius Mela, ex junioribus Peucerus, Rhenanus, Althammerus & Wittichius in Tacitum: sed sicut Nomen Teutonum certæ regioni & genti de propagine Germanorum sacrum & proprium fuit: Ita nemo facile extiterit, qui sequioribus temporibus id nominis universo Germaniæ populo & progeniei commune fuisse negaverit; siquidem ni soli lucem fænerari videremur, testimonia non exigua in palæstram pròduci possent. Peucerus lib. IV. Chronic. Teutonum nomen, inquit, ut Germanorum & totius gentis fuit & certæ partis. Id a Tuiscone conditore gentis derivant. De hoc autem mira sed non injucunda fabulantur Autores. Aventinus in Annalibus lib I. dicit, eundem Tuisconem ducentos supervixisse annos & septuaginta sex sceptro moderatum esse suas ditiones, tamque insuper Germaniam in provincias & regna divisisse, ubique castella extruxisse,

xisse, literarum usum invenisse: & tandem anno tercentesimo septimo post communem orbis terrarum cladem & *κατακλυσμον* sua statione decessisse. Hunc deinceps ob virtutes eximias coluisse dicuntur subditi honoribus divinis, & ex communi omnium sententia & consilio inter Deos retulisse, ac tanquam patronum terrarum Germanicarum & asylum constituisse, ipsique lucum sanxisse. De uxore ejus Ertha vel Hertha videatur *Reinesius in Epistolis ad Noricos Epist. LXIX.* Quem sequaris, & cuius sententiam amplectaris, B. L. ipse videoas. Nos nemini quid obtrudimus, neque leges & edicta prætorum scribimus. De orthographia tamen τὸ Deutsch tribus adhuc verbis dicemus. An scribendum sit Deutsch, an molliusculè Deutsch, dubium & controversum pridem: quod tamen sive hoc, sive illo fiat modo, parum interest. Si quæ orthographia anteponenda alteri, posteriorem eligimus ab antiquo Deud, quod majoribus nostris Deum significabat, ex quo postea procul dubio τὸ Tuifco exortum. τὸ Deud enim, ut autores hand infimæ caveæ sentiunt, varia dialecto prolatum legitur. Quippe jam Deud, Dieth, Diether, jam Thut, Thuts & Thudis dictum & scriptum constat. Ex qua inflexione nullo negotio τὸ D. in T. transire potuit, ut à nonnullis non Deutsch, sed Teutsch chartis illitum, eademque ratio scribendi ad nos deducta fuerit. Confer Wegnerum l. c.

CAP. III.

*Germanorum lingua an Hebræam,
Persicam, Græcam, Latinam ve-
beat matrem.*

§. I.

AT verò his diutius immorari nolumus; sed Deo duce rem ipsam aggredimur. Dabis autem veniam, B. L. si pro in-

B

ge-

genioli nostri tenuitate alta quasi nocte recondita eruere singula non sustinuerimus. Quis enim in tot sententiarum dividia satis prospicere poterit, quin aliquid humani commitat? Quibus autem natalibus, an propitiis, an minus secundis & quo tempore orta sit Germanorum vernacula, tot ferme opiniones, quot capita. Nec desunt viri magni nominis, quorum cineres æternis veneramur encomiis, qui intra limites Heberi Germaniam quærunt, hoc nixi fundamento, quod nim. insignis detur convenientia Teutonicæ lingvæ cum Judentorum sermone. Illa autem dicitur vel intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca quæ versatur circa ipsa verba & eorum homonymiam notationemque, qualis est ex. gr. in sequentibus: טְמִשֵּׁן mischen / שָׁפַךְ schöpfen / דְּרִיכֶן riechen / שְׁלַף schelffen / לְקַפֵּן lecken / בְּכָל fallen / בְּעֵל buhlen / הַלְּיל heilen & quæ sunt alia. consule Harsdörf. in laudato specimine p. 130. qui & Lazii autoritatem, si qua est, ex lib. I. de Aboriginibus fol. 18. & 19. in subsidium vocat, ejusque sequentia producit verba: f. 29. Repertus est apud nos codex admodum vetustus, in quo hec extant: Bojarii traduntur ab Armenia oriundi, qui cum magna multitudine de finibus suis egressi hanc terram sunt ingressi, expulsisque Aboriginibus præsis habitarunt. Ex quo loco firmari credunt, gentem nostram ab Hebreis statim post diluvium exivisse; lingvamque Germanorum tunc Hebream fuisse. Convenientia autem extrinseca adstruitur ex ipsa methodica lingvæ tractatione, & indagatur in literis, in nominibus, in verbis, in præfixis & suffixis, in constructione, adeò ut vel ovum ovo ita respondere vix possit, quam hæ duæ lingvæ. Et ut Autores hujus sententiaz mihi omnibus nominibus devenerandi porro effata sua stabiliant, ostendunt etiam eandem esse rationem in divisione literarum, tam Hebrearum quam Germanicarum, & dicunt, habere Germanos haud secus atque Heberi sectatores, suas consonantes, diphthongos: consonantes quas dicunt gutturales, labiales, palatinas, lingvales & dentales. Dein pergunt ad nomina, dicentes; quod, quem admodum apud Hebreos à verbis descendunt nomina, eodem

dem modo se res habeat in literatura Germanorum. Et si-
cut non omnia apud illos à verbis descendant, nisi à radice
inusitata: ita nec omnia in nostra vernacula à verbis oriri, sed
dari quoque radices nominales. Quæ de consonantia ver-
borum, præfixorum, suffixorum, literarum servilium, totius
deniq; constructionis, de linea Maccaph, de infinitivo nomi-
nascente passim ingeminantur, ne tædium lectori crearemus,
sponte omisimus. Si cui allubescit penitus introspicere ho-
rum Autorum sacra, poterit consulere laudatum Harsdörff.
I.c. Atque ita satis constat, quam matrem huic soboli lingvæ
nimirum nostræ adscribant illi, quorum studio & diligentia
monumenta prolapsæ antiquitatis revolvuntur. Cui sen-
tentia alii quoque non inferioris notæ viri suum contulerunt
calculum, quos inter eminet Mericus Causabonus Isaaci filius
in *Commentatione de quatuor linguis* p. 160. Lingvam, inquiens,
simpliciter & absolute matricem ego quidem unam agnoscō Hebraicam.
Ex hac aliæ omnes initium sumserunt; sed ita ut in aliis majorem mul-
to, quam alii mutationem passa sit. Hoc autem quomodo contige-
rit, ignorato (ut antea dicebamus) confusionis lingvarum modo, & in-
tanta temporum istorum & migrationum caligine nostrum non est de-
finire. In plerisque linguis hodiernis manifesta reperiri primævæ ve-
stigia certum est: sed an omnia à primis illis incunabulis, an ex recen-
tiore cum Iudeis commercio nonnulla, non hic dispiciendi locus. In-
quo filius à parente non recedit, qui statuit, non tam novas
lingvas, novasque rerum notiones inventas, quam novas ve-
teris lingvæ, (Hebræam innuit) ἵγκλισ & παρεγλίσ, ita ta-
men ut nova quædam vocabula tunc sint excogitata, cujus
rationes prolixius diductæ videri poterunt in libro citato
Merici Causaboni. M. Georg. Cruciger, Professor quondam Aca-
demiae Marpurgensis in sua *Harmonia lingvarum quatuor cardi-*
nalium edit. Francofurt. Anno 1616. per totum idque haud
parvæ molis volumen idem probare satagit, & posita radice
Hebraica omnes reliquas lingvas, quas dicimus cardinales
exinde deducit, utque cogitata animi, & libri, quem molieba-
tur, contenta, in epistola dedicatoria exponeret, ita præfatur:

Ut rerum omnium præpotens Jehova, qui lucem habitat inaccessam, suæ potentie ineffabilisque divinitatis & Majestatis tæ dôpata (ut A. postolus loquitur) in magno naturæ volumine, creationis puta opere, omnibus manifestè cernenda & tantum non palpanda reliquit: ita quoque ratione haud multum absimili lingvæ sanctæ seu Hebrææ, quæ omnibus orbis terræ habitatoribus atque incolis communis ante fuit, antiquitatem haud obscure cernere est in reliquarum, in quas diffusa est, lingvarum cardinalium (unde porrò omnes aliae tanquam rivuli profluxerunt) cum sermone Hebreo, tanquam fonte suo, convenientia. Atque ex hoc nullam radicem primigeniam Latinæ & Germanicæ lingvæ propriam esse, firmiter porrò asseverat. Ne autem sine testimonio id dixisse censemur, lubet specimen eorum, quæ ubique tradit, hîc loci referre:

מֵצֶר angustia, locus angustus

orta sunt	1. Directe	1. Græc. μικρός, exiguus parvus. 2. Latin.	1. Maceria, exiguus murus.
	2. Per	1. Prosthesin Gr. Σμαρίς, [1. Græc. Σμαρίς] exiguus 2. Metathesin literarum radicis	[1. (ιδος) ὁ pusillus piscis 2. Lat. Smaris] (minimus fe- [3. Germanic.] re piscium) Schmergel]

מַקְלָה Calamus, arundo longa, baculus, cuius cognatum
קלָה levem esse

orta sunt per metathesin	1. Græc. Κάλαμος.	1. Lat. Calamus.
	2. Germ.	{ 1. Calmus 2. Halm/Strohalm.

Sed

Sed hæc sufficient: Sit iudicium penes alios, quibus reputandum sedulo relinquimus, an singula, quorum plenus est integer codex, si ad lydium veritatis lapidem exigantur, se satis probare queant omnibus. Nostram lingvam immediate profluxisse ex Hebræa, atque consonantiam & convenientiam istam innuere conjunctionem arctissimam, qualis est inter matrem & filiam, tantum abest, ut statuamus, ut potius istorum rationes, qui contrariam sententiam urgent & defendunt, amplectamur. Si cui volupe est, consulat *Marcii Zuerii Boxhornii* originum Gallicarum librum Cap. VII. p. 95. sq. & experietur virgulam censoriam vindicaticem injuriarum, quas hodie nostra & reliquæ lingvæ à patronis Hebrææ patiuntur: qui *Mihi* inquit, *rationes eorum, qui lingvarum omnium origines ex Ebræa petendas esse arbitrantur, à veritate alienæ frivolæ & ineptæ videntur.* Sit sermo Ebræus omnium primus & antiquissimus, ut communī consensu creditur: neque tamen ideo reliquos omnes ex eo, velut fonte, profluxisse & dialecto tantum, & haud multum absimili eorundem vocabulorum usu distare statuendum est. Et paulo post: *Non negaverim in omni sermone reliqua esse quedam Ebræi sermonis vestigia & vocabula; sed sunt illa paucissima.*

§. II. Ab Hebræis ad Persas transimus, in quorum orbe nonnulli querunt Germaniam. Reperti enim sunt non pauci, qui delusi similitudine vocabulorum quorundam tam Persis, quam Germanis usitatorum, nobilissimæ vetustissimæque Germanorum lingvæ origines ad Persas retulerunt, quibus etiam annumeramus Clarissimum Piccartum, fidus olim Academiæ Altorphinæ satis fulgidum, qui in Oratione, sua de migratione veterum Germanorum: *Sic, inquit, ego censeo, Germanos majores nostros Persarum olim fratres fuisse, iisque prima origine conjunctos; egressos inde post mortem Alexandri, cum omnia bellis in Asia arderent, dissidentibus procerum & dynastarum animis & suis unoquoque commodis vigilante: egressos autem omnium primum eas, quos hodie Frisios & Saxones appellantus, & insedisse primum Cimbricam Chersonesum, inde transvectos Albim ea occupasse loca,*

eaque regiones, quas hodieque tenent; quibus alii postea se conjunxere populi, qui iam omnes Germanorum nomine veniunt. Quemadmodum ergo Gentem nostram ex Persia devocat: ita quoque lingvam inde arcessere necesse habet. Nec sane est, quod difsiteamur, vocabula quædam nobis usitata Persis eodem fermè sono & consimilibus literis enunciari. e. g. quod isti dicunt: Bruder, Dochter, Berber, Leb, Drog, Stareh, Nahm, Nau, Bend, Behether, Der, Buster, nos efferimus: Bruder/ Dochter/ Barbier/ Lippe/ Betrug/ Stern/ Nahm/ Neu/ Band/ Besser/ Saxon. Bether/ Thür/ Polster/ Saxon. Pust. At verò an Persiam matrem exosculari teneamur, non extra dubitationis aleam ponimus. Num forte fortuito enata sit hæc convenientia, non habemus afferere; quò tamen digitum intendisse videtur Lipsius Epist. 44. cent. 3. ad Belgas: Fatum sane est, inquiens, & ego observo, ut ratio communis hominum sic & verba alibi esse, sive traductione, sive casu potius an genio administrante. Sed in quibusdam major convenientia aut crebrior, ut in Persica, quod miremur. Nam ii & voces nostras plures habent, & flexus Conjugationum haud nimis diversos. Dant casui affinitatem hanc plerique, & ullum unquam commercium Germanorum cum Persis extitisse pernegant. Verum alii, quibus itidem de meliore luto formavit corda Prometheus, nonnihil se præstitisse arbitrantur, quando Germanos Persarum fratres ex eadem stirpe oriundos proclamant undique, ut ita propinqua sangvinis conjunctio nexum inter lingvas sororium, firmet atque stabiliat. Marcus Zuerius Boxhornius in Epistola quadam p. m. 295. ad Blanckardum, commentarium ad Q. Curtii historiam publicæ luci donantem, ita: Doctissimi ætatis nostræ homines censuere, Persicam lingvam haud multum à Germana diversam: in quorum castra ego quoque vi veri victus concedo. Quippe cura Persas ex Scythis ortos esse, veterum etiam testimoniis abunde constet, neque alias majores Germani nostri agnoscant aut agnoscere debeant, quam Scythes, cognatum quoque, & si diale-
tum, aut paulo diversam pronunciandi rationem excepéris, eundem harum gentium sermonem esse, necesse est. Cui accedit laudatus

Cau-

Causabonus, qui ingenue fatetur, non levibus adductos esse conjecturis viros celeberrimos, ut lingvam Thraciam, Phrygiamque (quæ latissimè in Asia olim patebant) non alterius fuisse originis, quam Germanicæ evincant. Quibus calculum Clariſ. Salmasii addere facili negotio possemus, si jam testimonia doctorum coacervare animus esset, qui Persicam & Germanicam lingvam uni eidemque fonti adscribunt. Neque sane ex sententia Nobilissimi Morhofii casu tot Germanica Persicæ inhærent. Potissimum autem hic ad verti debet, vetera ista Persica quorum Curtius cæterique Historici mentionem faciunt, ferme omnia Germanica esse, quæ magnam partem collegit Boxhornius l.c. Si itaque horum ductum sequamur, & nosmet cum aliis Piccarto, quem nullus unquam, ea quæ intenderant ratione, refutare in hac sua sententia feliciter potuit, associemus, omnino non diffidendum foret, Germanicam juxta cum Persica ex eadem propulsulasse origine, & si verum est, Persas Scytharum germanes esse, à quibus nostra deducimus stemmata, lingvas sororias utique amplectimur ex eadem matrice ortas, neque amplius miramur, qua ratione acciderit ut Persarum tam multa nostræ vernaculae consonent.

§. III. Porro ne quid' prætermissee videantur illi, qui vernaculam nostram adeò non venerantur, ad marrem prolabuntur, quæ post sobolem nata est, nempe ad lingvam Græcam. Franciscus enim Junius in Notis ad Willerami Cantic. Cantic. in eam prorsus inclinat sententiam, quando in illud: *cusse mich her mit dem cusse;* ita commentatur: *Cuius liquere potest Francicum seu Alemannicum cussan esse originis Græca;* Nam à κύω osculari κύσαι Græcis est basiare, pro quo tamen apud Homer. Odysf. Ω v. 234. atque alibi passim legitur κύσαι. Belgarum interim Kussen & Anglorum Kisſe ad hanc originem planissimè sunt referenda. Cambro-Britannis cusnu est osculari, svaviari: quod rumen ab Hebraica origine ducit Johannes Davies in Dictionarij Britannico-Latino. Ego sane pri-
scos

scos quoque Britanos hoc suum cusano à Græcis desumisse puto, cum passim plurima in tota hac antiquissima lingua occurrant, quæ manifeste Græcam produnt originem. Si verum amemus, profecto non est, quod diffiteamur, quam plurima esse, quæ affinitatem propinquam inter has ostendunt lingvas. Ita vocem *thik* densus, crassus deducere possemus ex θίγω vel θύγανω tango, ut *thik* diceretur qf. τὸ ἔθικον, tactu facile; *mischen* ex Græco μίσχω, misceo, machen ex μηχανᾶς machinari, moliri, giezzzen ex χέειν, clagon flagen ex κλαίειν flere, ejulare, vel à κλάζειν clamare, quelen, vel Saxonice quellan à *grūmēn* abjecto s. heiß ab گو uro, leyth à λυθεῖν labore frangi, defatigari vel λιθιᾶν calculo laborò rücken à ερχεις spina dorsi, vid. Berneggeri Quest. XL in Tacitum, ubi longe plurima in hanc rem afferuntur. At verò non tantum simplicium vocum, quas sovet Germania, indoles; sed etiam integer ordo orationis non exiguum præ se fert convenientiam, adeò ut rectè idem Schmidius in Hypomnemat. ad Grammat. p. 41. seq. Si ulla lingva ad Græcam accedit, Germanica est, & si in ulla re accedit, in articulis accedit. Semper enim articulus I. subjectum propositionis notat, eo tamen modo, qui alibi docetur: ut καὶ Θεός νῦν ὁ λόγος, und Gott war das Wort; Latinus discernere non potest: Deus erat verbum. Non enim liquet, Deusne, an verbum sit subjectum; id quod Græcus & Germanus prodit ingenu. II. Rem definitam & determinatam notat sive in subjecto, sive in prædicato: ut ἐδωκατῷ αὐδῇ τὸ ἀργυρίον, Ich habe dem Manne das Geld gegeben / h. e. viro, quem nosti, & hanc pecuniam, quam nosti. Alius sensus est: Ich habe einem Manne Geld gegeben / ἐδωκα αὐδῇ τῷ, vel tantum αὐδῇ ἀργυρίον, vel ἀργυρίῳ, ubi nulla certa persona notatur; sed vir aliquis, & pecunia indeterminata quævis. Præterea sicut occurunt in Græcanica literatura Infinitivi nominalentes: id pariter, in nostra vernacula quotidie animadvertisimus. Quin imo declinationum & conjugationum ratio arctiores indicare poterit amplexus. Favet insuper huic turbæ ita statuentium, dux in hac Mūsarum palæstra exercitatissimus Causabonus de

de quatuor linguis p. 378. qui libere , quod sentit , edifferit:
 Paucā puto vere & genuine *Anglica* sive *Saxonica* reperiri , quæ (excep-
 tis quorum *Latina* est origo) si ritè & diligenter expendantur ,
 non possint ad Græcos fontes revocari . Verum enim verò , si hanc
 insistamus viam , ex omnibus omnia colligere dabitur . Sic
 inde , quod Cœlius Rhodiginus illos , qui alterum pedem habent
 in cymba Charontis , vocat πεμπέλες à πέμπω , posset ali-
 quis deducere illud Germanorum , & non paucis Thuringis
 usitatisimum vocabulum *pempeln* / i. e. *nugari* , ex quo ve-
 tulæ peculiaria sua nanciscuntur insignia , quia aniculæ istæ
 quotidiè nugantur . Sed hæc faceant . Multa nostræ linguæ
 vocabula peregrina videntur , quæ tamen matre benefica
 intra sinum Germaniæ prognata sunt . Non ex fonte Græ-
 co cadunt illa Germanica , sed ex Scythico . vid. Boxhorn . de
Originibus Gallicis pag . 86 . Bene Franciscus Irenicus cap . XXXII .
Multarum , inquit , *regionum civitatumque origines ignoramus* ,
 & Græca putamus , quæ tamen Germanis debentur , veluti *Vangio-*
nes dicimus Wormatienses : *omnes mirantur* , unde nomen illud
 fuerit profectum . Literis Græcis non est opus : Germanicus fons spe-
 cietur . Urbs hæc sita est in territorio Teutonico Wungau dicto , Cerere
 & Bacho opulentissimo . Latini paululum variantes literas *Vangio-*
nes illos proferebant Wungaugiones . Confer Lehmanni *Chronici Spi-*
vensis initium . Unde quasi in mensa solis , quod aiunt , pos-
 tum est , quid sibi demereantur illi , qui in etymologia Ger-
 manorum subinde ad alios fontes recurrent . In patriam
 certe insigniter sunt contumeliosi , qui omnia nostra à Græ-
 cis accersunt , perinde ac si Germania olim meras habuisset
 bestias , beneficio sermonis omnino carentes . Ab illis emen-
 dicare Germanica , plane est ridiculum : Inter auctores enim
 emunctioris naris abunde constat , nostram vernaculam
 Græcis multas dedisse radices , nihil autem ab his accepisse .
 Skinnerus equidem in præfat . ad *Lexicon Etymol.* totam molem
 calumniarum & scommatum in nostram jacit linguam asse-
 rendo , Germanicam potius è Græca , quam hanc ex illa flue-
 re , eò quod impossibile arbitratur , Græcam longè cultissi-

mam ex sermone tam barbaro & horrido sibi assumisse quip-
piam : At verò annon iste noverat , lingvam , quo est sim-
plicior & horridior , eò magis ad originem accedere. Unde
quoque *Exccl. Morhofio* colligitur , nostram lingvam esse
Græcanica vetustiorem , imo vero hujus matrem. Non di-
cam in præsentia , quod ipsi Græcorum filii haud negent , Ma-
jores suos primosque incolas Græciæ barbaricam lingvam
locutos , literasque suas à barbaris nactos esse. *Josephus contra Apionem* prolixioribus argumentis probat omnia Græcorum
esse nova : Ipseque *Diodorus lib. II. c. VI.* Græciæ Philosophos
suam à Barbaris acquisivisse scientiam , & divinus Plato in
Epimenide citante *Euseb. X. de Præpar. Evang. cap. II.* in-
genue fatetur , omnia quæ optima sunt , à barbaris se consecu-
tum. *Vetus enim regio* , inquit , alite eos , qui primi hæc invene-
runt. Clemens quoque *Alexandrinus lib. I. Strom.* veteres phi-
losophos Græciæ aut fuisse barbaros , aut à Barbaris , quod
deinceps excoluere , haufisse , approbare non veretur , qui
postea plures suæ sententiæ ὁμοφύλως adducit , atque inter
alia : παρεθέριω , inquit , οὐλῶν ολίγα εἰς σύγασιν τῆς φύσεως βάρ-
βαροις ἐνθάδι , καὶ βιωφελῆς φύσεως παρῶν ἔλληνες τὰ δαιδαλεύμα-
τα ωφλινται . Ex his pauca adjeci , ad confirmandam inventricem εἰ
vitæ utilem naturam , quæ fuit apud Barbaros , à quibus in studiis
Grecis exercendis Greci acceperunt magnam utilitatem . Quo
etiam hæc faciunt , quæ non longè post afferuntur : Εἰ δέ τις
τῶν φωνῶν διαβάλλει τὴν βάρβαρον , ἐμοὶ δέ , φυσιν ὁ Ἀνάχαρσις ,
πάντας ἔλληνες σκυθίζει . Si quis autem vocem reprehendit bar-
baram : Mibi autem , inquit Anacharsis : Omnes Greci Scytha sunt .
Quid igitur in laudem nostræ linguæ concinnius dici poterat ? Accedit etiam quod Majores nostri arma sua viætricia
Græciæ felicissimè intulerint , quo de vid. *Justinus lib. XXIV.*
c. IV. seqq. & XXV. c. I. Unde si victoris est , leges condere
non accipere ; dispalescit oppidò , Nostrates nihil ab ipsis ac-
cepisse , sed ad suos mores potius & sermonem obstrinxisse .
Unde qui ex lingua Græca Germanicam nostram evolvere
percipiunt , illis certè non absimiles sunt , qui , dum origines
rerum

rerum feliciter indagare nequeunt, nescio quid somnii cre-
pant. Dudum enim noscitur ex Historicis gravissimis, Scy-
thas, Majores illos nostræ gentis plus à benefica matre na-
tura accepisse, quam universa Græcia ex principiis artis.
Justinus : *Admirabile videtur, ait, hoc illis (Scythis) naturam*
dare, quod Græci longa sapientum doctrina præceptisque philosopho-
rum consequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbarie i collatione
superari.

§. IV. Vereor, ne etiam sint, qui vernacula nostram
è Romuli stirpe aut prosapia eruere non graventur: Nemini
tamen aliquid affingimus, neque etiam qui disertis verbis id
eloqui ausus fuerit, meminimus. Dari nihilominus non exi-
guam inter hasce lingvas convenientiam non inficiamus,
quam *Bohuslaus Balbinus Epitomes rerum Bohemicarum lib. I. c. X.*
agnoscere videtur, dum complura se scripsisse latino sermone
refert, quæ inferioris sortis Germanus, qui nunquam ingressus est discendi ludum, intelligere possit facili negotio. E. g.
Ego habeo unum hortum, in illo sunt sex turres & muri cum fenestris;
in palatio stat una persona cum longo naso & est contexta rosis. Non-
dum verò exinde probatum fuit, quod firmiori argumento
stabiendum erat. Illæ enim radices latinæ, quibus impri-
mis ad hanc rem defendendam utuntur, ex sententia laudati
Morhofii, maximam partem è Scythia sunt oriundæ. Quid
quod multi hodie origines lingvæ latiæ in amplexibus Ger-
maniæ, tanquam matris, inquirunt, quos inter nominan-
dus meritò illuſtris *Præſchius* in sua dissertatione *de Origine*
Germanica Lingua Latinæ, quâ B. L. animum inter ardua de-
lectare poterit. Faceſſant igitur, qui Germanorum sermo-
nem Græco Latinoque longe vetustiorem, ad hujus vel
illius normam exigunt, cum nulla ratio perſuadeat, priora
à posterioribus inverso naturæ ordine, fuisse progna-
ta. Hoc non nego, Græcam & Latinam lingvam à mul-
tis seculis excultam, nostram usque ad ultima ferè tempora,
rudem delituisse: quis vero ideo vilem dixerit? sicut
enim aurum cum scoria in penetralibus terræ diu abscondi-
end

tum, tardius licet effossum & expurgatum, pretium non amittit; sed ingenioso artificis labore condecoratur, ut verbis Harsdörfferi Disq. VIII. utamur.

CAP. IV

*Vernaculam nostram è Scythica ortam ostendit: ubi nonnulla de sedibus & habitatione
Scytharum & an Germani fuerint Scytha?*

§. I.

In his enumerandis paulo prolixiores fuimus. Restat itaque, ut, cum hisce subscribere nolimus, aliam afferamus sententiam, unde, quales simus, quamve loquamur lingvam dispalefcat. Non tamen illi sumus, qui altius ad Adamum calatum nostrum remittere, atque illinc rudimenta nostrarum literarum accersere nitamur, in quibus ingeniose satis desudavit *Goropius Becanus*. Nec etiam, Adamus quam vernaculam habuerit, libet sub disputationis incudem revocare. Nulli tamen dubitamus, quin Hebraica fuerit, adducti tot clarissimorum virorum testimoniis. Equidem argumentis humanis qui hoc probare ausi fuerunt, idque potissimum ex impositione nominum proprietum Adami, Evæ, & aliorum, dudum adversarios hac in re habuere admodum contumaces, qui in id sedulo incubuerunt, ut quasi in apri-co demonstrarent, hæc nomina propria non esse illa primogenia ab ipso DEO imposta, nec istam singuam, quæ in Heberi posteris postea permansit, omnium primam; sed nomina à prima aliqua, quam sibi fingunt, lingvâ, in hanc faciem fuisse transformata, ut, etiam in Hebræa, primæ, nescio cui, exacte responderent. Multi juramento affirmare ausi sunt, Hebræam non esse lingvarum omnium primam. Quibus

bus annumères non paucos qui diversitatem lingvarum ante ipsam Babylonicam insaniam, suis nixi fundamentis, eruditio orbi probare moliti fuerunt. Gnari tamen istius *Gen. XI.*
Erat autem terra labii unius & sermonum eorundem; ita ex his fluctibus se emergerē laboraverunt, ut dixerint, verbis istis non significari unum eundemque tenorem & usum, sed sensum & intelligentiam; & fuisse illo tempore plura lingvarum genera: Omnes autem homines se invicem intellexisse. Verum enim vero hæc sententia dudum remissa est ex his fundamentis suis autoribus. Illud non de nihilo videtur, quod πολύνιωτας ille *Conringius* in *Antiquitatibus suis Helmstädiensibus* probabiliter ostendit, Gigantes, etiam ante diluvium nostras habitasse terras, eorumque circa ipsam Helmstadium extare monumenta ingentis laboris arduique operis, quæ facultatem & vires hodiernæ mortalitatis supererent quam longissimè. An non exinde nosceretur lingvarum ante diluvium diversitas? Hebraicam enim, quod tamen per negare nostrum non est, huc usque transmigrasse vix credibile videtur.

§. II. An autem noster sermo in ipsa confusione Babylonica cœperit, prout placuit plerisque, spissioribus fermè obrutum censetur tenebris; siquidem nondum patere videatur neque ex sacra pagina, neque ex Historiæ profanæ conditoribus, an hæc insanía Babylonica majores nostros etiam infecerit. Multi, quemadmodum Heberi & Semî progeniem ab hoc crimine immunes esse volunt: ita quoque Japhitas seu Gomeritas excipiunt, & omne quidquid est detestationis ac vitii in Chami sobolem devolvunt. Dicunt enim, orbis divisionem statim post cataclysmum universalem obtigisse: structuram autem demum tempore Heberi, qui fuit quintus in linea descendente à Noa, cū jam omnes Japheti generationes suam quæque occupasset regionem, quam ex divisione quasi hereditario jure acceperat, nimirum Insulas Aquilonares. vid. *Antiquit. Judaic. Joseph. VI. cap.* Unde etiam non mirandum esse ajunt, in hac nostra lingua potissimum ve-

teri, quam Cimbricam multi dixerunt, tam multa Hebraica inveniri. nostris tamen majoribus in hac causa patrocinari non audemus.

§. III. Sed sepositis istis omnibus, quæ vel de pluralitate lingvarum ante diluvium, vel ante structuram Babyloniam, afferuntur, cum Deo pergimus, & modeste, nostram lingvam è Scythia oriundam esse, adstruimus. Post diluvium enim, quo Deus injuriarum sibi illatarum acerimus vindex terram & filios nefandos à patribus degeneres inundaverat, ubi prout Horatius:

Piscium, inquit, genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,
Et superjecto pavida natarunt
æquore dama,
 una eademque regio, accrescentibus subinde hominibus & eorum multitudine aucta, omnes capere non poterat. Inde Deus O. M. legem de migratione tulit, & quæ Noachus singularique posteriorum ejus considere deberet, statuit. Eapropter quisque filiorum Noe suam nactus regionem in adscriptas sibi terras ransiere. Iaphetum autem, quem Græcorum libri idoneorū nominant insulas gentium versus Septentrionem & occasum sibi cum sua sobole accepisse, tradunt autores non sublestæ fidei. Hujus rei testem evocare possumus *Josephum in Antiq. Judaic. cap. VII.* Ιαφθᾶ μὲν ἐν τῷ Νώχῳ παγῶδος ἦσαν ἐπτὰ νύοι· παλαιῶσι δὲ ὑπερ θόνον τάυρον καὶ αὐτὸν ιων ὄφων, οὐδὲ προτῆλον θόπι μὲν τῆς αἰστας ἀχρι ποταμῷ Ταναϊδος: Et quæ sunt alia, quæ huc afferri merebantur, potissimum illa, quibus gentium ex Japheto diversitatem oculos ponit cuivis. Nobis sufficit, illamgentem, quam isti, qui ante nos Scytharum nomine insignem esse voluerunt, Japheti posteros fuisse. Posteritas enim Japheti Scythicum orbem post tempora Phalegi obtinuerat, id quod patet ex Gen. X. aliisque locis. Scythas autem fuisse omnes illos, quos Boreas fovebat, quorumque tractus à Tanaidis ripis, per Mæotidis & Ponti Euxini litora, usque ad Istri ostia expandebatur, plurimorum est sententia.

tentia. Unde Strabo lib. I. Geogr. scribit, omnes cognitas versus septentrionem regiones, uno prius nomine Scythes appellatos esse; & lib. septimo, Scythes Germanos fuisse afferit. Multi insuper ex antiquis, referente Scheringamo, contendunt, regiones illas, quas Græci Scythiam nominabant, ante alias omnes post diluvium habitatas esse, arcamque Noæ circa medium Scythiam substitisse, neque ad citeriores regiones nisi per Scythiam transitum patuisse. Atque ex Scythicis istis Regionibus Majores nostros prosapiam & lingvam in Europæorum confinia detulisse, probabile est. Conf. Job. Magnus l.l. ejusque frater Olaus Lib. VIII. Histor. Septentrional. Vossius in Prefat. libri de vitiis Sermonis.

§. IV. Poterat hic aliquis obvertere & nos criminis in Tacitum historicum illum, penes quem ferme unicum patria nostra invenit, quod rerum suarum nosse anhelabat, arguere, quando in aureo libello de Moribus Germanorū dicit, Germanos fuisse αὐτόχθονες, his verbis: *Ipsos Germanos indigenas credidimus.* Unde fortean in mentem venire cuiquam potuisset, istos fungorum instar è terra propullulasse, neq; in hos fines, queis à Tacito circumscribuntur, aliunde advenisse. Profecto res aliter se habet: Non enim è terra cum Cadmea gente prodiisse putat; sed quod minimè aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos, & ut cap. IV. dicit, nullis aliis aliarum nationum connubiosis infectos propriam & sinceram & tantum sibi similem gentem extitisse arbitratur. Atque in hoc significatu colluviae diversarum gentium & advenarum, collectæque ex variis populis turbæ opponit.

§. V. Verum enim verò ipse Germanæ originis indagator felicissimus Cluverius in Germania antiqu. lib. I. cap. IV. nostræ assertioni obicem ponere, & quasi ariete infensissimo in eandem detonare videtur. Postquam enim contra illos prolixè disputavit, qui ex Perside prosapiam nostram arquirunt, eorumque argumenta exploisse voluit; tandem ad fundamentum, ex moribus Persarum Germanis similibus desumsum: *Mores, inquit, si species, certe Persarum mores nunquam fuerunt*

fuerunt Germanorum moribus tam similes, quin multo similiores fuerint mores Scytharum: à quibus Persarum quoque gentem haud longe dissimilam, nonnihil eorum traxisse, quid mirum est, si quis conjectaret? Nemo tamen Scythes Germanorum conditores temere affirmaverit. Hæc facile nos in ruborem dare & temeritatis arguere queant, potissimum cum illi simus, qui virum tanto ingenio exsplendentem nec refellere velimus, nec etiam valeamus: novimus vires nostras, & quam parum humeri sint portando. Attamen dum ipse postmodum profitetur, nostros quoque conditores ab Noacho ex Asia profectos, orbe in tres partes diviso, occidenteque cum altera septentrionis parte Japheto adscripto, Europæ regiones & maria infedisse, nostræ sententiæ quadantenus favere voluit cum aliis, quos habemus propitiores. Casaubonus enim de quatuor linguis p. m. 385. ita: Quanquam autem Scytharum nomen apud antiquissimos Scriptores valde generale nomen est, quod omnes septentrionales populos tam Asiaticos quam Europæos compleclitur. Europæos tamen sive Celto Scythes, qui & Germani postea dicti ab Herodoto, aliisque Scythorum bellorum scriptoribus intelligi, certissimis argumentis viri docti adstruxerunt. Sed & ipsum nomen Scytha Germanicam præ se fert originem. Illos autem nominatim Scythes, qui alio nomine Getæ quoque nominati, per oram ponticam late sparsos Græcis notissimos, Germanicæ fuisse prosapia, constans eruditissimorum virorum, antiquitatum Germanicarum illustratorum & indagatorum solertissimorum est opinio. Ipse quoque Aventinus Annal. Bojor. p. m. 32. autumat, illos Scythes, quorum Curtius meminit lib. VII. cap. VIII, Germanos fuisse: atque ita Scythes & Germanos unam eandemque constituit nationem. Unde Cluverius nobis adeò contrariari non videtur. Quos enim ille à Celtis ex Scythia oriundis evocat, nobis ex ipsa Scythia arcessere licebit. Historici quippe plurimi dicunt, Celtas ex Scythis descendisse, qui postea unam gentem constituerunt, postquam prius armis mixti, deinde pace conciliati coaluerunt.

§ VI, Quibus testimoniis, ipsius quoque Cluverii qui
lib. I.

lib. I. c. II. Germ. antiqu. Germanos Scythes & Celto-scythes appellat, adducti, nulli dubitamus, Germanos è Scytharum regione evocare. *Baudrandus* etiam Scythes, ait, esse populum per partes *Asie* & *Europæ* extensum, è quibus fuisse traduntur *Scythæ Hyperborei*, *Sacæ*, *Alani* *Scythæ*, qui per *Sarmatiam* in *Scanzianas* transgressi tandem in *Germaniam* migraverunt. Cui adstipulatur *Hoffmannus* in *Lexico universali*, qui haud secus atque alii quidam, concordiam istam qualem qualem *Persicæ* lingvæ cum vernacula nostra exinde ortam putat, quod *Scythæ* eadem *Germanis* tradiderint. Quid de hoc negotio *Hartknochius* in *Prussia sua veteri* & *nova* afferat, accipe. Hic ut *Venedos* è *Scythia* oriundos evincat, dicit, *Japhetum*, cum singuli filiorum Noæ certam hujus orbis partem sorte quasi acciperent, *Asia septentrionali* *Europaq*; potitum esse; *Regiones autem Asiaticas*, quæ versus septentrionem spectabant, *Scythiam Asiaticam*, quæ verò propter *Tanaim* in occidente vergebant, *Europæam* esse nuncupatas, & ex illis, primum à *Japheto* inhabitatis, consecuto tempore in *Europam* *Japhitas* devenisse. *Abrahamus Mylius* inter cætera huc facientia hæc quoque tradit, quod nempe gentes, quas proxima fanè post *Noachum*, vidit ætas, & quæ *Aborigines* vetustate longe superant, *Germanice* locutæ sint, quales fuere *Gothi*, *Getæ*, *Massagetae*, *Cimbri*, *Teutones*, *Galli*, *Celtæ*; quo stabilire maximopere videtur, vernaculam nostram non tantum inter antiquissimas haberi; sed etiam, id quod sequentia declarant, *Scythicæ originis* fuisse.

¶. VII. Nonnulli tamen eò prolabuntur, ut *Scythes* è *Germania* in *regiones Scythicas* ablegare, quam *Germanos* ex *Scytharum* orbe conclamare malint. Hoc equidem facile largimur, nostros majores hinc inde, prout occasio tulerit, vagatos, jam ex diversis *Asiæ* partibus in *Germaniam* profectos esse; jam ex hac variis ambagibus illuc rediisse, idque fortasse plus simplici vice, quod *Wegnerus* in *ad Lutheri Nomencl. additam*: nobiscum confitetur. Ex *Scythia* tamen prius emigrandum erat, quam illic reverti daretur; Imprimis quia eam

regionem arcum Noæ suscepisse scribunt auctores. Deinde plures etiam migrationes ex Oriente in occidentem, quam ex occidente in orientem factæ dicuntur. Præterea si & illud firmo stat tali, quod à supra laudato Hartknochio assertur, Gothos, qui à Scythis oriundi sunt, prius Prussiam illam veterem insedisse, & deinde in Scanziam & Sueviam migrasse, utique nostræ sententiæ lux affulget non exigua. Quod autem Gothi sint gens Scythica, pluribus argumentis probatum dare possemus: unius tamen vel alterius faltem autoritate, acquiescere luet. Procopius: ipsam, inquit, Mæotidem, & os ejus, quod dixi, ultra ipsum statim litus Gothi, quos Trapeziticos dictos memoravi, antiquitus obtinebant; longius Gothorum gens, quæ proprie sic dicuntur, Visigothique & Vandali, & ceteri Gothicæ originis populi habitabant, quos vetustiora secula Scythes vocabant. Et Georgius Syncellus, ut Robertus Sheringhamus observat: Τότε πάλιν οἱ Σκύθαι καὶ Γότθοι λεγόμενοι ἐπιχωρίως, διὰ τῆς ποντικῆς θαλάσσης ἐλθόντες εἰς τὴν Θυνίαν, καὶ πάσαν Ασίαν καὶ Αυδίαν χωρέσαντες ἵνα τὸ Νικομήδειαν Βιθυνίας πόλιν μεγάλην ἐλαβού. &c. Eodem tempore Scythæ, qui & Gothi patria voce vocantur Ponticum mare transierantes in Bythiniam descenderunt, Asiamque omnem & Lydiam excurrentes Nicomediam Bithyniæ urbem ceperunt. Ut adeò, qui negare id ausiat, contratos antiquitatis fidem insugant.

§. VIII. Hoc ut eo magis firmeretur, ex eodem Sheringhamo adverimus, sermonem Gothicum, vernaculam Scytharum fuisse. Probat enim auctor primo Alanos fuisse gentem Gothicam; deinde, Scythes etiam eandem lingvam, eundem corporis habitum cum Alanis habuisse, nisi, quod cæteris, quam Alanis, promissiores capilli fuerint: id quod posterius patere ait ex Luciano, qui: Ταῦτα inquit, οὐε ελεγεν ἐν Μαχενίνε, οὐδὲ λαττίος τοῖς Αλανοῖς ὄν. Κοινὰ γὰρ ταῦτα Αλανοῖς καὶ Σκύθαις, πλὴν ὅτι ἡ παντὸς ιορδαῖς οἱ Αλανοὶ, οὐ περ οἱ Σκύθαι: Hæc quidem dicebat Macentes, eadem lingua cum Alanis: hæc enim communia sunt Alanis & Scythus, nisi, quemadmodum Scytha, consensu non sunt Alanī. Quando igitur exinde probare

bare licet, Alanos Scythicam excoluisse lingvam, eosque Gothorum stemmate oriundos esse, Gothos autem fuisse gentem Germanam; quid prohibet, quo minus dicamus gentem nostram Scythicos habuisse Majores, eademque lingvæ principia & fontes agnovisse? Quod verò Goths Germani fuerint, ab Autoribus ferme pro confessio habetur; in quam rem quoque videatur *Hartknochius* l. c. & *Cluver. antiq. Germ.* lib. III. cap. XXXIV. Unde si Goths Germanice sunt locuti, & Scytharum progenies fuere: extra dubium fermè positum est, Scythes nostra lingua, etiamsi non qualis jam est, sed in suis radicibus, usos esse.

CAPVT V.

*Porro ex moribus Scytharum &
vitæ genere veterum Germanorum colligitur,
Germanos esse Scythes: annexuntur
quædam de etymologia vocis
SCYTHA.*

§. I.

Germanos verò Scythes fuisse, mores veterum Germanorum, quos cum Scythis habuere communes, adhuc videntur comprobare. Nam quod Justinus de suis Scythis magnis laudibus deprædicat, illud ad veteres Germanos haud difficulter quadrare poterit. Dicit autem, illos aurum & argentum non perinde ac reliquos appetere; cui ὀμόληνα Nicæphorus Gregoras tradit: *Argentum, aurum, margaritaque cæteræque gemmæ Scythis pluris non fiunt, quam pulvis.* Quid verò aliud, quam ejusmodi quoque continentia & ævrapheia majores nostros immortalitati dedit? Tacitus testatur, Germanos nostros quondam possessione & usu haud perinde affectos fuisse: qui mos multam scelerum materiam sustulit. Porro Justinus Scythes lacte vesici solitos tradit, qui vietus sicut antiquissimas gen-

gentes delectavit; ita potissimum Germanis quoque in deliciis fuit. Non tantum enim Ammianus libr. XXXI. de Alanis ex Scytharum gente prodidit, istos lacte victitasse; sed de nostris etiam palam est apud Auctores. Nimurum Cæsar lib. IV. Non multo frumento, inquit, sed maximam partem lacte aque pecore vivunt. Et lib. VI. Agriculturæ non student, majorque pars victus eorum in lacte. Et Athenæus lib. IV. cap. XIII. Τε πρωτοὶ, ὡς ἴστορι ποτειδώνιος, δημήτριος γάλα. Germani, ut narrat Posidonius, bibunt lac. Tacitus eadem ratione inter cibos eorum lac concretum ponit. Quo tamen nomine quid sibi velit, haud sanè convenit inter interpretes, nec expeditu adeò facile, qvum non una concrescendi sit ratio: de quo negotio videri poterunt passim literarum statores philologi. Deinde Pomponius Mela de Scythis ad Maeotida: Apud eos, inquit, easdem artes foeminæ quas viri exercent, adeò ut ne militia quidem vacent. Viri pedibus inharent, sagittisque depugnant, & equestre prælum ineunt: nubunt tamen; verum ut nubiles habentur, non in atate modus est: nisi quæ hostem intoremere, virginis manent. Idem usu veniebat Germanis nostris, ubi pariter foeminæ militia sedulò fungebantur, sic enim Tacitus de moribus Germanorum cap. XVIII. Dotem non uxor marito; sed uxori maritus offert; intersunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur; atque invicem ipsa armorum aliquid viro offert: Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrabantur. Ne se mulier extra virtutum cognationes extraque bellorum casus putei, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetar, venire se laborum periclorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.

§. II. Denique de Scytharum vestitu adjicit Justinus: Lanæ iis usus ac vestium ignotus: pellibus tamen ferinissant marinis utuntur, ubi, quod Dn. D. Sagittarius, Patronus noster maxime de venerandus, notat τὸ λανα ac vestium per figuram quandam, quam

quam Græcorum filii ēv. οὐαὶ θυεῖν appellant, ponitur pro *ve-*
stium lanearum. De nostris autem Tacitus: *Gerunt & ferarum*
pelles: & qui sunt alii mores, quos inter se habuerit gens u-
traque communes. De justitia heic loci mentionem facio
nullam, cum tamen apud Scythes & Germanos illæsam fer-
mè & fixam habuerit sedem. *vid. Bochartus lib. III. Geogr. cap.*
IX. Quanquam autem huic argumento tantum non tribua-
mus, ut putemus, hōc solo gentis nostræ è Scythia migra-
tionem demonstrari posse: attamen quoniam supra ex pro-
batis autoribus testimonia luculenta attulimus, locum suum
hōc quoque mereri voluit. Quibus sepositis, etiam
quod Germani pariter & Scythæ ex calvaria hostium pocula
concinnare & ex iisdem bibere consverint, non solum in
recensendis aliis ritibus occupati fuisse; sed etiam cultus ra-
tionem, quo utraque gens suos Deos eodem ferme modo ve-
nerata fuerit, enarrasse potuissimus; Ast si his argumentis
aliquid firmatur hæc pauca sufficere poterant.

§. III. Porro si recolimus & altiori indagine expendi-
mus Scytharum denominationem, quadantenus quoque
inducimur, ut originem nostram iis transscribamus. Quan-
quam non ignoremus, Conringii de hac antiquitates Ger-
manicas eruendi ratione judicium, qui ejusmodi indagato-
res risu dignos æstimat. Nihilominus tamen ipse deinde,
addit: *Non negaverim aliquid illi argumento ponderis inesse, si &*
alia confirmant idem. Scytharum autem etymologiam non
tantum Hugo Grotius, verum etiam alii viri non infimæ ca-
væ Germanicam esse volunt, & à sagittandi peritia, quod
hodiernum Schießen aut Schieten dicitur, deducunt. Scythæ
inquit Vossius lib. III. de Idolol. cap. XCIX. optimi arquites seu sagit-
tarii: unde & Scytharum appellatio. Nam septentrionalibus uti
& Germanis Schieten est sagittam arcu mittere. Et Bochartus
Geogr. sacr. lib. III. cap. XIII. Eò Scytharum nomen multi revo-
cant, quia Germanis Schützen sunt jaculatores. *vid. Jo. Magnus lib. I.*
histor. Goth. Cui plura alia accedunt, quæ videri possunt apud
Hugonem Grotium in Praefatione ad Procopium, uti ex Temerinda,

quo nomine Mæotis quondam Scythis veniebat, facit des Meeres Ende / aut, prout, alii volunt, des Meeres Mutter / à Dam quod matrem priscis denotabat, qui etiam montem Cauca- sum dixit Graucasum à candore, quod ut eò melius stabiliat, Plinium in suas partes devocare studet.

§. IV. Neque prætermittere animus est, quod Busbe- quius tradidit posteritati. Is enim Friderici Imperatoris ad Turcas Legatus constitutus testatur, illos, qui hodiè Tauri- cam Chersonesum ad Bosphorum Cimmerium incolunt, Ger- manica lingua loqui, licet aliquantulum, quoniam cum Tur- cis permiscentur, immutata. Cum enim casus aliquando desiderio ejus, quod in cognitionem illius gentis ferebatur, utcunque satisfecisset, & duo illinc delegati essent, cuncta, expiscatus ex eorum sermone hæc nostræ vernaculæ imprimis consonantia in Epistola II. extare voluit: *Nostratia*, inquiens, aut parum dissimilia erant hæc:

Brot	Panis	Maen	Luna
Blut	sangvis	Tag	dies
Stul	sedes	Oogen	oculi
Hus	domus	Bard	barba
Wingart	vitis	Handa	manus
Regen	pluvia	Boga	arcus
Bruder	frater	Rinck	annulus
Schyvester	foror	Brunna	fons
Alt	senex	Wagen	currus
Wynth	ventus	Appel	pomum
Silver	argentum	Schieten	mittere sagittam
Golt	aurum	Schlipen	dormire
Korn	triticum	Kommen	venire
Zalt	sal	Singen	canere
Fisch	piscis	Lacken	ridere
Hooft	caput	Criten	flere
Thurn	porta	Geen	ire
Stern	stella	Breen	asfare
Son	Sol	Schuuath	mors.

318-

Iusus ita numerabat alter: Ita, tua, tria, fydes, fynf, seis, seuen, athe, nyne, thyne, thynita, thunitua, thunetria &c. Quid igitur prohibet, salvo tamen judicio & sententia aliorum, quo minus probabiliter concludamus, esse reliquias Scytharum, qui olim circa Mæotin paludem, de quo inter auctores facile convenit, sedes sibi paraverint, id quod nobiscum etiam videtur agnoscere Mericus Causabonus, Isaaci filius de lingua Anglica vetere p. m. 390. Et utut non ignoremus, Gothos posterioribus seculis istas terras occupasse: nihil tamen obstat, quin & ex prioribus illis multi recentioribus illis permixti sint superstites.

§. V. Tandem si illud quoque suam fidem meretur, quod multi tradunt, & in quo laudatus Piccartus desudavit; nimirum Gentem nostram Persas propinqua cognatione attingere, & fraterno vinculo illis annexi: omnino & inde habebimus, quo possimus adstruere Scythicam originem Germanorum. Ammianus enim dicit, Persas natales suos Scythis debere qui tanta ubique laude, quam ipsis conciliabat ars bella gerendi, coruscabant: idque manifestò probat lib. XXI. p. m. 469. his verbis: *Unde etiam Persæ, qui originitus Scythæ, pugnandi sunt peritissimi.* In qua sententia eò magis firmari queamus, si Plinii quoque auctoritate stare nobis permisum fuerit, qui Persas etiam Scythes appellare non gravatus fuit lib. VI. cap. XVII. Quibus consentit Salmasius in commentatione Hellenistica priori: *Persica seu Parthica, quæ ipsa auctores habet Scythes, infinitas præse fert voces, quæ cædem reperiuntur in Græca parvier dialecto & in Teutonica.* Idem in præfatione ad Cebetis Tabulæ versionem: *Quod ad hoc avi latust plerosque eruditorum, ex eadem origine compererat fluxisse (Elichmannus) Germanicam & Persicam lingvam, ad hanc conjecturam ducente illum infinita vocum copiâ communium; sed & verbis similiter terminatis, eodem modo compositis aliisque multis argumentis.* Exinde colligere quis poterit, nostros Germanos non tantum cum Persis cognatione conjunctos, verum etiam cum illis ex eadem stirpe oriundos esse.

§. VI.

¶. VI. Ecce b. l. hisce tibicinibus nixi lingvam nostram vernaculam sobolem Scythicæ statuimus, gnari utique, quanto molimine contrà nitantur alii. Verum sicut cuivis suamens, ita & mihi in hoc negotio meas periclitari vires permisum fuerit, præeuntibus, tot egregiis in literario regno viris, Salmasio, Vossio, Boxhornio &, quem, veneror, Clariss. Domino D. Morhofio, qui in tractatu suo de lingva Germanorum p. 68. eandem fovet sententiam, cuius ipsa verba afferre, quam alieno idiomate incrustare malui. So ist dennoch diese meine gründliche Meinung, die nicht ohne gute Gründe von den trefflichen Leuten Salmasio und Boxhornio aufgebracht / daß die alte Scythische die rechte Haupt Quelle der Europäischen Sprachen sey / aus welcher die alte Deutsche und Gothiche zuerst entsprungen / wo sie nicht fast eben dieselbe gewesen / und der Griechischen und Lateinischen zum Theil ihre Stammwörter gegeben. Et profecto dolemus, Georgium Stirnhelmium fatis præmaturis præoccupatum operi suo, quod moliebatur, de lingva Scythica colophonem addere nequissime. Cujus libri tantum Synopsis auctori suo superstes ad nos pervenit, qui non tantum occidentales & septentrionales; sed orientales quoque à Scythico sermone tanquam rivulos ex suo fonte derivare, & Hebræam pro dialecto Scythicæ venditare ausus fuit.

CAP. VI.

De quibusdam Germanicæ Lingvæ dialectis, & vocabulis obsoletis.

§. I.

Hæc Scythica verò ex Auctorum consensu plures alias, Celticam, Italicam antiquam, (quæ ex Hetrusca, Cosca & Sabinæ in Latialem abiisse potuit) Gothicam, Sclavonicam genuisse dicitur. Celtica deinde in alios ramos se diffudisse creditur, id quod hodienum colligimus facile è variis lingvarum dialectis: vix enim urbs pagusve enascitur, quin alia atque

atque alia dialectus enascatur, & postmodum varia permutatione varietur. Unde recte Salmasius circa finem Hellenisticæ: *Nec numero finiri potest, quot in orbe & in genere humano linguae esse possint, fere totidem quot hominum decuria. Si decem quippe homines in aliqua insula soli, ab aetate infantili, mutorum ministerio & opera usque ad virilem educarentur, lingvam ipsi sibi formarent ex rebus, quas cognoscere & usurpare possent, nulli alii similem.* Id quod hodie obvium est cuivis. Rimetur, cui volupe est, inter homines plebejos varias lingvæ dialectos, qvæ in se & sua radice una eademque modo arte pronunciandi diversa, & vel aliquibus literis jam aucta, jam deminuta comparet. Quævis Germaniæ regio & provincia adhuc Germanico gaudet, idiomate, quod quilibet facile concederit, e. g. Pommerania, Austria, Saxonia, Misnia, Silesia, Prussia &c. singulæ autem nationes singulas quoque habent dialectos, ut iisdem discerni facili negotio queant. Ergo neminem mirari subbeat, Scythicam istam veterem tanquam oceanum plura defemississe flumina & rivos, quæ nihilominus suam originem fonti debent.

§. II. Ecce Rythmum ante quingentos annos, aut, quod excurrit, scriptum, de S. Annone Archiepiscopo Coloniensi, & quantum lingva, quam hodie circumferimus, ab illo tempore sit mutata, expende. Wir horten ie dikke singen von alten dingen, Wi snelle helide vouchten, Wi si veste burge brennen, Wi sich liebin vunisceste schieden, Wiriche Künige al ze giengen. Nu ist cith daz wir dencken, wi wir selve sülen enden. Christ de unser Hero güt, Wi manige ceichen her uns vure düt, Alser usfin Sigeberg havit gedan durch den diurlichen man den heiligen bischof Annen, durch den finin vvüllin, dabi vvir uns sülin bevvarin Wante vvir noch sülin varin von disime ellendin libe hin cin evvin da vvir imer sülin fin. Vis altius assurgere? aliud specimen veteris lingvæ Teutonicæ in salutatione angelica his verbis exhibent Autores: Heil vuisthu gebono follu, trucht in mit thir. Gisegnet sis thu in vuibon: & paulo post: Inti gisegenot si thie vuahsmo thi-

E

nero

nero vuamba; & in Canticō Simeonis: Nu forlaz thu truchtin thinan scalc, After thinen vuortun in fibba: Bithiu vuan ta gisahun minu ougun thinan heilant. Then tu giantuurtites fora anuaze allero folco. Lioth zi inrigan nesse thiono, Iti zi diuridu thines folkes Israelo.

§. III. Unde non immeritò concludimus, multa vocabula Germanica cecidisse, multa quoque resurgere & immutari. Ex lingua illa veteri plura desierunt, si non in omnibus dialectis & nationibus, inter istas tamen gentes, quæ mediterraneum Germaniæ incolunt. e. g. habuerunt veteres Germani vocabulum manslacht, & mansächtig, quod illis homicidium denotabat; quod patet ex confessione veteris Ecclesiæ Alemannicæ, quam Goldastus Tom. I. Rerum Alemannicarum inseruit, libro quoque Evangeliorum Otfridi adjunxit Flacius, quæ inter alia hæc quoque habet: Ih vvir du Gote almæhtigen bigihtig, inti allen Gotes heilagon, allero minero suntero unrehtero githanco, unrehtero worto, thes ih unrehtes gisathi, unrehtes gihorti, unrehtes githancti, odo andran gispuoni, so vvaz so ih vvider Gotes Willen gitati, meinero eido, ubilero, fluicho, liogannes ste lannes, huores, manslathi. i. e. *Ego Deo omnipotenti confiteor, & omnibus DEI sanctis, omnia mea peccata, illicitas cogitationes, illicitos sermones, quicquid illicitum dixi, illicitum audivi, illicitum cogitavi, aut alio pacto quicquid ego contra DEI voluntatem egi, mea juramenta, execrations & maledicta, mendacia, furta, scortationes, homicidia.* Usurparunt etiam vocem barn vel parn, eaque filium significarunt. Vnde auctor des Helden Buchs / ut Harsdörfferus in specimine philolog. Germ. citat:

Davor woll euch bewaren

Der reinen Mägde baren.

Exolevit autem hodie in nostra: nihilominus tamen in Danica jus suum obtinuit. Sic olim Wuur, & alia dialecto, Wizzod, q. d. vveit aus, idem fuit ac lex: nobis periit, sed Belgis superstes, quibus Wet legem significat, Wetbrecker, legis violatorem. Germani veteres dixerunt quoque bevothren, cum tentationem deno.

denotare voluerunt, quis autem hodie usurpat; nisi forte
Brabanti, vicinæque illis nationes? Sunt sexcenta alia, quæ
huc transcribi non potuerunt. *Vide Vorstium Observat. in ling.
vern. p. 73. sq.*

§. IV. Adducendus jam esset Sermo Scytharum, ea qui-
dem dialeto & ratione, qua seipso olim compellabant, ut
iremus demonstratum, nostram, quam hodie foveamus, eidem
propinquiori nexu junctam esse. At verò, (quæ sunt fata
nostræ Germaniæ,) quia Veteres arma præ calamo & litera-
rum studiis auro contra æstimabant, nullaque monumenta
lingvæ & literaturæ posteritati relicta volebant, spe, quam con-
ceperamus, destituimur. Residuatamen esse videtur, de quo Hi-
storici sibi gratulantur maximopere, in lingua Britannorum,
& quam tradidere & illustravere Olaus Wormius aliique, Go-
thorum. Ut ergo pateat, qualis fuerit antiqua Germanica
ejusque pronunciatio, lubet quædam loca ex Bibliis Anglica-
no idiomate conscriptis depromere. Jof. VI. vers. 2. See, i haue
given in tho thini hand Jericho, and the King thereof, and the
migthy men. Sihe ich habe gegeben in deine Hand Jericho, und
den König überdiß / und seine mächtige Männer. II. Sam. III.
24. The Joab came to the King, and said, vvaht hast du done?
und Joab kam zum Könige und sprach / was hast du gethan?
Nehem. V. 19. Think upon me, my God, for gvod! gedencke
meiner/mein Gott/in besten! Job. I. 18. They sons and they
daughters vvere eating and drinking vvine in their eldest bro-
thers house; deine Söhne und Töchter assen und truncken
Wein in ihres ältesten Bruders Hause; & quæ sunt reliqua.
De Gothicā verò quid sentiendum, edifferet, quam producturi
sumus idiomate Gothicō, oratio Dominica, prout Lazius no-
bis reliquit: Fader war somer in hymlum, heiligtet werde dir
Namen: Tilkomen tit Rikhe: Ske din vvillige, som i Hymlum
so po tordene: war tagkich broth gif os i tag, verlach os wa-
ren Schuld, som wi verlatten ware Skuldiger. Och in ledhos
ikhe i strestilfe, ut an los os i fro onda Amen. Quas tamen
preces alio modo exprimit *Waserus in Commentar. ad Mithri-*

datem Gesneri: Atta unfer, thu in Himina: Weihari Na-
mo thein: Vimai thiadinassus theins. Wairthai vvilga
theins, sue in Himina, gub ana airthai. Heaf unferana thara
ſintenam gifunſſ hiſſa daga. Gah aflet unſſ thatei, ſculans
higaima ſua ſue gah vveiſſ afletam thaim ſculam unſaraim.
Gah ni Erriggais uns in fraestubegai, ak laufei uns af thaſſa
ubilin: Unte theina iſt thin Gardi, gah Mahs, gah Wulthus
in aivvins, Amen. vid. Wegnerum ad Lutheri Nomencl.
p. 39. Attexemus, ex Goldaſto rerum Germanicorum ſcrutato-
tore nunquam ſatis laudato, Symbolum confeſſionis, quod
Veteres Germani Gevverff, à conjiciendo, werffen / imitati
Græcorum *ευμβάλλειν*, dixerunt: Ih Keloubo an Gót almáchtigen
fatere, ſkeffen himeles unde erdo. Vnde an ſinen ſūn
den gevrichten halt áre eīnigen unferen heeren: der fone dé-
mo heiligen geiſte infängen vvard: fóne Maria dero mágede
gebórn vvard: Kenótháſſtat vvard pi Pontio Pilato: unde bi-
imo an crucem gestáhteri. starb: unde begraben vvard: ze hél-
lo fúor: an demo dritten tāge fone tōde iſtuõnt: ze himele
fuõr, dār ſizzet ze Gótis zese ſiuun dēs almáchtigen Váter:
Dánnān chimftiger Zeirté illene die es dá allelichun geha me-
nunga: kelóubo zehá benne dero heiligen gemeinfame: ablaſſ
dero Sunden: gelóubo des flēiskos úrstendende: geloubo
évvigen lib. Amon. Daz tuõn ih heuarõ. vid. Scriptor. rer.
Alemann. Goldaſt. Tom. III. p. 34.

§. V. Et hæc poterat eſſe facies vernaculæ rudioribus
illis ſeculis, quæ deinde non uno die; ſed curſu plurium an-
norum in hunc, quo jam coruſcat & inclareſcit ſubinde magis,
ſplendorem efformata fuit. Jaetabant equidem Caroli M.
tempore literarum cupidi, quanto ornatu, quantis gemmis
germanorum ſermonem ditaffent: Si vero rem curatius expen-
dimus, quantum mutata ſit hodie ab illa in meliorem, ſingulis
innotescet. Ecce tibi ſœdus, quod inter ſe feriebant Ludovi-
cus & Carolus in civitate, quæ olim Argentoratum jam Straß-
burg vocatur. Ille sacramentum ſuum Gallico, hic vero Ger-
manico efferebat idiomate.

§. VI.

§. VI. In Godes Nunna in durch des Christianes folches
 ind unser bedhero gehaltnussifon thesemo dage framordes,
 so fram so mir Gott gevizei indi maht, surgibit, so hala ih
 thesan minan brouder --- so so man mit rehtu sinen brouder
 scal in thi utha Zermigso somaduo, indi mit Lutheran inno
 theinni thing ne gegango, the minan vwillon imo -- ce scha
 den vverhen. vid. du Chesne, quod ita vertit Freherus: *In*
Gottes Liebe und des Christlichen Volkes und unsrer beyder
Behaltnuß oder Erhaltung von diesem Tage fürbaß mehr/ so
fern mir Gott Wiz und Macht fürgiebt/ so halte ich diesen mei
nen Bruder -- so man mit recht seinen Bruder soll/ mit Lotha
rio in kein Ding nicht einzugehen/ zu meinen Willen/ so ihme
(Ludovico) zu Schaden wäre. Unde effatum Trithemii in
præfatione libr. III. de Polygraphia disserentis: Uſus loquendi non
regulatus quantum apud solos Teutonicos in sexcentis annis sit varia
tus, nemo cito æstimabit, qui Otfridum Wisburgensem Monachum in
carminibus linguae Germanicæ ſepius non relegit. Mare fluit & refluit,
homines ſemel morientes non amplius præsentem revertuntur ad vi
tam: ſuccedunt moribus mores, & ſemper ad molliora vigor animorum
mortalium decidit. Quis hodie apud Græcorum priſcos amulatores
Germanos antiquam idiomatum teneat notitiam? Chronicis & veterum
historiis Francorum, Humbaldus, Doracus & reliqui scriptores, qui an
nis nos mille præcesserunt multa, & carmine priſco & proſa sermonis
Teutonici ſuis synthematis dicta miſcuerunt: quæ hodie intelliguntur
à paucis. Quid loquor de temporibus antiquis, cum proprium idioma
noſtrum apud Francos orientales, Svevos, Bavarios, Rhenenes, Moſella
nos, Colonienſes, Saxones, & Toringos notabilem variationem quotidie
ſuſcipiat? Mutantur in tempore homines, variantur & mores; mutan
tur animi, variantur & uestes: lingvarum alteratur simplicitas, &
priſca variatur idiomatum proprietas, nil ſtabile reperitur in hu
manis.

§. VII. Et hæ ſunt, pro ingenioſi nostri captu, noſtræ
 de lingua Germanica meditationes, quæ ſi explerent deſi
 derium eruditorum, eſſet quo gauderemus. At vero, quæ
 ad hoc negotium opus erant, monumentis, maximè tempo
 re,

QH Td 322

38.

re studiis commodo & opportuno destituti, hic pennam
ponere jussi sumus. Si serenior dies nobis affulserit, dabi-
mus operam ut pro virili glossaria utriusque lingvæ, quibus
adhuc plurimum inhæret, quod ad illustrandam verna-
culam facit, excutere & majorem lucem nostris
conjectaneis affundere,
queamus.

Corrigenda.

p. 2. l. 8. pro meum leg. meam. p. 3. l. 17. leg. Harsdörfferus.
lin. 20. habens. lin. 26. ad Tacitum. p. 4. lin. 27. Melpomene.
lin. 29. Roterodamus. p. 15. lin. 23. matrem. p. 15. lin. 24.
prolabuntur. lin. 27. commentatur. p. 25. lin. 22. locutæ. p.
22. lin. 18. deberent.



107

